

servitium tuum gratia nostra Regia compensabimus. Haec referet tibi nomine Nostro latius idem Decshazy, cui fidem indubitam adhibere debeas. Secus ne feceris. Datum Budae feria 3. post festum Pentecostes. Anno Domini 1525.

A tergo:

Magnifico Francisco de Batthyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano ac Pincernarum nostrorum Magistro, fideli nobis dilecto.

(L. S.)

Orig. aut. charta in Archivo Kőrmendiensi Illustr. Principis Batthyani.

CLXXXIX.

Anno 1525. Feria 4. post festum Elisabethae Viduae. Budae.

Ludovicus II. Rex Bano F. Batthyan scribit, ut omnem curam adhibeat, quo Joannes Tahy occasione Diaetae Slavonicae a regnicolis in pristinam Banatus dignitatem recipiatur, et Jajce victualibus provideatur.

Commissio propria Domini Regis.

Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc.

Magnifice fidelis nobis dilecti. Fuit hic fidelis noster Magnus Joannes Tahy, quem remisimus ad Diaetam Sclavonicam, ea spe, ut per oratores nostros, quos illuc destinavimus, si Regnicolis id persvaderi poterit, in officium suum reponatur: alioquin invitis illis, eum non reponent. Vadatis igitur cito et vos ad illam Diaetam, et adhibeatis omnem operam, simul cum oratoribus nostris, ut partes dissidentes ad concordiam revocentur, et quod ipse Johannes Tahy cum suis adversariis concordare possit; nam si id fieret, facilius posset illis consentientibus in Banatum reponi. Non optat autem longo tempore fore in officio; neque nos cupimus hoc in alium finem, nisi, ut et dignitati nostrae et ejus honori fieret satis. Bani nostri Jayczenses victualia posuerunt ad Jayczam sine periculo, sed pauca; necesse est igitur, ut citissime plura inferantur, quia sine illis conservari non poterit. Johannes Tahy si reponeretur in officium, non recusaret laborem inferendi victualia ad Jayczam; quod si non fiet, tractetis cum oratoribus nostris et cum Regnicolis illius Regni nostri Sclavoniae de alio